

1408 März 18, Pisa

Vor dem Notar Giuliano di Collino verspricht Antonia qm Iohannis Spatiarii und Witwe des Gerardo dem Roberto qm Pierozzi Ghetti von Florenz eine Summe von bis zu 100 dobbri (Dublonen?) für den Freikauf ihres Sohnes aus der Gefangenschaft in Tunis. Andrea qm Ponis de S. Pietro bürgt für sie.

*Firenze, AS, Notarile antecosimiano, 18811, fol. 113r-v*

Domina Anthonina relicta Gerardi et filia quondam Iohannis Spatiarii civis pisani de cappella Sancti Laurentii kinziche, querens et cupiens redimere et redimi facere Pacinum Ferronecchium filium suum et dicti quondam Gerardi, civem pisanum nunc captivum in manibus  
5 barbarorum, et sentiens quendam Robertum quondam Pierozi Ghetti civem et mercatorem Florentie tunc de proximo priori bono tempore discessurum de Pisis et iturum retro viadio in Tunitio de Barbarie et in partibus Barberie causa mercationis et pro redimendo aliquos ex Christianis illic captivis et maxime aliquos ex Pisanis ibidem captivis, in  
10 quantum sit in concordia cum eorum actinentibus de recaptu ad salinc. [salvit. ?] capitale ipsius Roberti pro denariis illis quos de suis propriis exbursabit et solvet ut iuris est, intuitu vero Dey et pietatis pro eius labore et exercitio persone sue, et qua ipsa domina Antonina verisimiliter divino favente auxilio sperat dictum Pacinum eius filium per  
15 dictum Robertum illic presentem et sponte iuxta eius posse permittentem redimi posse pro pretio usque in dobbriis centum auri bonis et iusti ponderis, computando expensas, dohanas et alias quascumque occurrentes, ex certa eius scientia confidens et sperans Deo auxiliante in prudentia et caritate ipsius Roberti, per sollempnem stipulationem  
20 convenit et promisit dicto Roberto, presenti et petenti ac redentionem predictam promittenti iuxta eius posse, quod in quantum ipse Robertus redemerit seu redimi fecerit dictum Pacinum de manibus et servitute ipsorum barbarorum et ipsum libere et expedite relaxari fecerit et eum poni in ea libertate qua christiani illic residentes vel advectantens  
25 mercandi causa, et sit in suo libero et mero arbitrio liber et expeditus posse discedere inde pro huc vel alio eundo vel ibidem stando<sup>a</sup>, non obstantibus aliquibus, quod tunc et eo casu<sup>b</sup> dabit et solvet aut dari et solvi faciet dicto Roberto vel alii legiptime persone pro eo recipienti pro dicto recaptu dictas dobbbras centum auri boni et iusti ponderis vel  
30 usque in ipsam summam tot dobbbras quot ipse Robertus vel alia

legiptima persona pro eo suo simplici verbo asseret expendisse, usque  
in ipsam summam tantum et non plures, ita quod pro pluri non  
teneatur, quas solvet et numerabit eidem infra unum mensem proxime  
secutum a die notificationis fiende per eum vel aliam legiptimam  
35 personam pro eo eidem domine Anthonine vel alii legiptime persone  
pro ea de ipso recaptu et positione ipsius Pacini in pura et mera  
libertate eo modo ut dictum est, de quo recaptu et positione in  
libertatem teneatur ipse Robertus facere eidem domine Antonine  
plenam, sufficientem et claram fidem per litteras et seu cartas publicas  
40 vel atestationes fidedignas et bonas et aliter non.

Et hec omnia dicta domina Anthonia faciet et observabit sine briga  
etc., alioquin penam dupli dictarum dobrarum centum auri et omnes  
expensas etc., constituens promittens et ordinans ex pacto predicta  
omnia et singula sic se facere et observare et dictas dobras solvere  
45 Pisis, Florentie, Luce, Senis, Ianue, Saone, Venetiis, | Rome, Bononie,  
Mantue, Padue, Mediolano, Papie, in tota Tuscia, in tota Lombardia, in  
tota Cathelonia, in tota Sicilia, in tota Apulia et in quocumque alio loco  
inveniretur aut dictum debitum sibi petitum fuerit ab eodem, sub-  
mittens inde se iudicio et iurisdictioni cuiusque iudicis, ita quod inde  
50 possit in dictis terris et locis et quolibet eorum et alibi ubique locorum  
et fori et sub quolibet iudicante et iudice realiter et personaliter con-  
veniri, capi, cogi, detineri, carcerari et stare iuri, pro quibus omnibus et  
singulis observandis dicta domina Anthonia obligavit se etc. dicto  
Roberto etc., et renunciavit beneficio et exceptioni doli mali, actioni in  
55 factum et quod vi, conditioni indebiti, sine causa et ex iniusta causa et  
ob turpem causam et fori privilegio et domicilii et iuri ypothecarum  
tacite et expresse et omni alii iuri etc.

Ad hec Andreas ponderator quondam Ponis de Sancto Pietro civis  
Pisarum de cappella Sancti Andree kinziche dicte civitatis pro dicta  
60 domina Anthonina fideiuxit, qui pro ea fideiubendo et eius precibus et  
mandato ac etiam suo nomine proprio principaliter et insolidum et  
extra et ultra omnem debitam causam obligationis volens ad hec teneri  
et efficaciter obligari ex certa eius scientia predicta omnia et singula  
suprascripta a dicta domina Anthonina convencta et promissa sic se  
65 facere et observare et ab ea fieri et observari facere ad suprascriptum  
terminum et eo modo et forma, ut supra per omnia continetur, et in  
dictis terris et locis et quolibet eorum et alibi ubique locorum et fori  
eidem Roberto sollempni stipulatione convenit et promisit, ad supra-  
scriptam similem penam eidem Roberto ab ipso Andrea sollempni

70 stipulatione promissam, cum refectione dampnorum etc., obligando  
inde se etc. dicto Roberto etc., et renunciavit beneficio nove constitu-  
tionis de fideiuxoribus, beneficio et exceptioni doli mali, actioni  
infactum et quod vi, conditioni indebiti, sine causa et ex iniusta causa et  
ob turpem causam, fori privilegio et domicilii etc., et omni alii iuri etc.

75 Et sic dicti principalis et fideiuxor preceperunt eidem Roberto a dicto  
termino in antea sua ipsius Roberti auctoritate propria etc. ingredi pos-  
sessionem et tenere bonorum eorum et cuiusque eorum omnium, et  
plenam bailiam etc., que bona se etc., et est actum inter eos ex pacto  
quod soluto etc., et quod a dicto termino in antea possint inde dicti  
80 principalis et fideiuxor in dictis terris et locis et quolibet eorum et alibi  
ubique locorum et fori personaliter capi carcerari et detineri.

Quibus vero principali et fideiuxori presentibus, volentibus et con-  
sistentibus ac promittentibus, ego Iulianus notarius suprascriptus  
sequens formam statutorum comunis Florentie et aliarum civitatum et  
85 locorum de guarantia tractantium, prout mihi licet precepi per iurem et  
per guarantiam, quatinus predicta omnia et singula sic faciant et  
observent ut promiserunt et superius continetur.

Actum Pisis in sala solarii domus habitationis dicte domine Antonine,  
posita in dicta eius cappella sancti Laurentii, presentibus Piero Vannis  
90 Boncini de Cascina de cappella sancti Gosme, Iacobo Nocchi barberio  
de cappella sancti Martini kinziche et Nanne Iohannis Ferronecchio de  
cappella sancti Christofori kinziche, pisanis civibus, et Anthonio Domi-  
nici dal Monte de Florentia, populi Sancti Branchasii dicte civitatis,  
testibus ad hec vocatis et rogatis, dominice incarnationis anno MCCCC<sup>o</sup>  
95 octavo indictione prima, die octavodecimo Martii.

<sup>a</sup> folgt gestr.: solutis. <sup>b</sup> casu] casu